

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Wersja krakowska, wariant wawelski**

Rękopis Biblioteki Uniwersytetu Warszawskiego, sygn. 5, k. 5–6

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 108 cz. II, 109–110 [Gn. 111]

[108 cz. II] De imperio quamdiu stetit et de eius potencia. Nunc dicetur quamdiu steterit imperium et potenter absque permutacione usque ad Greciam a tempore Darii Secundi, aut ultimi, quem rex Allexander maximis et sediciosus devicit bellis. Tunc transmutatum fuit Imperium a Babilonia et stetit in Constantinopolim usque ad illud tempus, quo se Roma de Imperio intromisit, et potenter obtinuit usque ad presens tempus ex parte beati Petri, qui caput est Christianitatis. Cum Imperium Romam versum fuisset, ibi stetit, videlicet in premisis. Tunc Christiani absque iure fuerunt, idcirco quamvis pro sua in terris faciebat voluntate, aut quicquid facere poterat et perficere, et hoc absque querela permansit et per iudicium inultum, quia nullus fuit, ubi quis [k. 5v] iusticiam consequi posset, et usque ad illud tempus perseneravit, quo se Roma de Imperio intromisit. Et ipsi ibi venerunt et iusticiam ibi consecuti fuerunt, et ibi exhibuerunt manus, unde manu pacem obtinuimus usque ad presens tempus. Tunc Romani convenerunt et decreverunt deliberando, quomodo regna sibi subiugare possent. Et omnes unanimi consensu pari consilio concordaverunt, quod edificarent castra in terris, unde sibi terras possent subiugare. Et cum hoc fecissent, tunc arbitrati sunt, sibi quomodo castra confortarent, ut ipsis essent in iuvamen. Et illos acceperunt, qui nomen militare habuerunt, et eos super castra locaverunt cum tali iure, ut hucusque castrense ius tenet in castrensi feodo. Extunc deliberaverunt, quali[a] iuris statuta terris constituere vellent et terris tale ius constituerunt, quale adhuc in terra Saxonie protestatur, per Constantinum imperatorem et per Carolum cesarem.

[109] CX. Nunc audire et intelligere potestis, quod principibus et baronibus, et aliis omnibus, qui digne nomen sortiuntur, quomodo ipsi cum Romanis sunt arbitrati, quid facere vellent, quo iure Imperium deberet permanere. Et statuerint regi ius cum consilio, quod ipse sedem rationi regni regere deberet ex parte beati Petri cum gladio seculari, unde adhuc Romanus advocatus appellatur. Idcirco vitam suam non potest demereri, nec in suo honore debilitari, nisi tribus causis, que in sequentibus patebunt. Quarum prima est illa, si sedem Romanam destruere vellet. Secunda est, si contra fidem vellet facere Catholicam. Tercia est, sine causa legali vellet suam dimittere uxorem legitimam. Quorum horum trium unum, quod absit, fuerit convictus, extunc debet iudicari, capud sibi debet amputari cum auro delabro. Propterea quia ipse est rector gladii temporalis, cum habet iudicare hos omnes, qui noxam et iusticiam fererunt, aut qui caput demerentur. Et insuper omnibus commisit, qui iudicis nomine censentur cum eo protegere viduas, pupillos, et domos, et omnes iniurias humiliare et iusticiam confortare. Insuper iudicium commisit omnibus iudicibus temporalibus cum eo iudicare super omnes hos, qui in maleficiis fuerint deprehensi facto manifesto,

ad iudicium capti, deducti et fuerint convicti, ut ius dictaverit. Ubi omnes iudices soli dicunt iudicare, vel preco ipsorum loco. Eodem ut iudices [k. 6] habent temporalem gladium a rege. Eodem modo sacerdotes habent spiritualem gladium ab Apostolico.

[110] Nunc attendatis, quis cesarem iudicare debeat, si ex his tribus prem[i]sis in uno fuerit convictus. Hoc facere debet Sacri Imperii Renensis palatinus, qui imperatori ac Imperio fuerit arbitrio positus. Simili, ut imperatorem palatinus debet iudicare, eodem modo iudicat burgravius marchionem pro sua culpa, et burgravius scoltetum.

[hasła: Grecja, Dariusz II, Konstantynopol, Aleksander Wielki, cesarstwo, św. Piotr, Cesarstwo Rzymskie, chrześcijaństwo, Chrześcijanin, sąd, Rzym, rzymianin, zamek, zgoda, rada, prawo, Saksonia, Konstantyn Wielki, Karol Wielki, książę, baron, miecz, katolik, wdowa, sprawiedliwość, gorący uczynek, palatyn reński, marchia, burgrabia, sołtys, cesarz, lenno]